



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

X. Vtrum visio Dei immediata sit connaturalis alicui substantiæ creabili?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

propositiones absolute prolatae. Quia particulae distributivae ab aeterno, simul, nullam successionem; & restrictivae, seu determinativae, iam & adhuc, cum nullas reperiant partes re ipsa in aeternitate secundum se, quas distribuunt, aut determinent; non intelliguntur distribuere, aut determinare aeternitatem ipsam secundum se, aut secundum varias eius formalitates tantum extrinsece distinguibiles ratione nostra; sed distribuunt, aut determinant eandem aeternitatem prout correspondentem omnibus temporum differentiis; tum realibus, tum imaginariis; atque eo ipso redduntur falsae tales propositiones, ut patet ex dictis. Consuetius tamen est, ut distinguantur eadem propositiones iuxta dicta, nec affirmantur, aut negantur sine tali distinctione, hoc modo. Omnia creata coexistunt Deo secundum se precise ab aeterno in aeternitate; conceditur; Deo quatenus existenti in diversis differentiis temporis, seu quatenus connotanti, & completenti easdem temporis differentias, negatur; & sic de similibus.



QVÆSTIO IX.

Utrum Deus sit ineffabilis, innominabilis, & inuisibilis?



IDEATUR non esse. 1. Quia de nulla re plus loquimur, quam de Deo; nullamque pluries nominamus, quam Deum; & eo unumquodque est cognoscibilis, ac visibilis, quod maius, & perfectius est, cum ratio veri, & ratio entis sint mutuo convertibiles, ideoque necesse sit utramque indivisim crescere, ac minui in unoquoque: Deus vero est ens omnium maximum, summumque. Ergo Deus est maxime omnium effabilis, nominabilis, atque visibilis.

2. Iob. 36. 26. dicitur: *Omnes homines vident eum.* Et Exodi 15. 3. *Omnipotens nomen eius* Judith. 9. 10. *Dominus nomen est tibi.* Deinde Aug. l. 1. de doct. Christ. cap. 6. subtiliter infert Deum esse nominabilem. Quia ineffabilis dici potest. *Quoniam si illud est ineffabile, inquit, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabili dici potest.* Visibilis igitur, nominabilis, & effabilis est Deus.

Art. 1. Respondetur, Deus est quodammodo nominabilis, & effabilis, & quodammodo non simpliciter, tamen dicendus potius est ineffabilis, & innominabilis; nominabilis vero, & effabilis tantum secundum quid, & imperfecte. Et quidem Deum esse ineffabilem, definitur absolute in c. *Firmiter de sum. Trinit.* Idem colligitur ex 30. *Prouer.* 4. *Quod est nomen eius, aut quod nomen Elij eius? si nosci* ex 32. *Gen.* 29. *Cur queris nomen meum?* Et ex constitutione Christi in caelestibus supra omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, 1. ad Ephe. 2. 1. Unde est celebre apud sanctos PP. illud Platonis, ac Trismegisti. *Deum intelligere difficile est; loqui autem impossibile.* Et D. Dionysius c. 1. de diu. nom. docet. *Dei neque nomen esse, neque sermonem.* & Aug. l. 7. de Trinit. c. 4. *Verius cogitari de Deo aliquid, quam dici.* Certum nihilominus est, ex testimoniis adductis in secunda ratione dubitandi, aliisque similibus quam pluribus Deum esse aliquo modo nominabilem, nempe nomine imperfecte, ac minime quidditative significante ipsum; verè tamen discretivo eiusdem à quibuscumque aliis rebus.

Art. 2. Ratio utriusque partis est. Quia mensura significationis in voce desumitur ex qualitate cogni-

R. P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

tionis, tum praesuppositae in loquente, tum generabilis seu excitabilis per ipsam in audiente iuxta intentionem loquentis. Cognitio autem Dei, quam possumus assequi, dum sumus in via, quaeque est excitabilis in nobis per voces, sine habentes significationem ex impositione nostra, sine ex impositione Beatorum, vel etiam ipsius Dei, est admodum imperfecta, utpote habita mediantibus creaturis, & representans ipsum ad modum earum, ideoque abstractiva; nec proprie quidditativa, & plus retinens de ignorantia, quam participas de scientia, cum excessu ignorantiae simpliciter infinito, propter infinitam distantiam obiectorum creatoris, & cognoscibilitatis ipsorum, à Deo, & cognoscibilitate Dei. Eadem nihilominus cognitio est multipliciter discretiva Dei à creaturis, & eatenus quodam imperfecto modo quidditativa, ut patet ex dictis supra praesertim q. 2. & 5. Est igitur Deus innominabilis potius, & ineffabilis, quam nominabilis, & effabilis, tamen aliquantulum imperfecte sit nominabilis non solum metaphoricè, per nomina desumpta ex rebus corporeis, ut cum dicitur Sol, leo, ignis, &c. Sed etiam proprie, & sine metaphora, per voces precisas perfectionis ab imperfectione secundum rectum; ut cum dicitur omniscius, omnipotens, ens à se, & similia in concreto, ad significandam rationem substantiae omnino complexae; vel sapientia infinita, omnipotentia, Deitas, Aseitas, & similia in abstracto, ad significandam simplicitatem maxime propriam formarum, ut abstrahendum à concretionem materiae, & compositionem.

Art. 3. Ulterior ratio imperfectionis convenientis cognitioni nostrae circa Deum, dum sumus in via desumitur ex impotentia videndi Deum immediate, ut est in se, & ex repugnantia cognitionis abstractivae aequivalentis intuitivae respectu Dei. Inde enim fit, ut cognoscatur à nobis imperfectissime per aigmata creaturarum contingentia ipsum in se cum infinita imperfectione, & inadéquatione; visionem autem Dei immediatam, ut est in se, esse naturaliter impossibile, non solum nobis, sed etiam omni alij substantiae creatae, & creabili. patebit ex quaestione sequenti. Quia verò unumquodque absolute denominatur iuxta id quod sibi convenit ex natura rei, propterea absolute dicitur Deus inuisibilis, magis etiam, quam ineffabilis, & innominabilis; tamen aliquando dicatur videri à viatoribus, visione latè sumpta pro qualicumque cognitione distinctiva unius ab alio.

Ex distinctionibus datis patet sufficienter sensus legitimus eorum, quae dicuntur in rationibus dubitandi. Quod additur in prima ratione, maiora, & perfectiora, esse cognoscibilia, ac visibilia; est verum de solo intellectu habente iustam proportionem cum obiecto, quae minime inest intellectui nostro respectu Dei, ideoque dicitur communiter ipsam comparari cum Deo, sicut oculi vertilionis comparantur cum sole, qui nimio splendore illos obruit.



QVÆSTIO X.

Utrum visio Dei immediata sit connaturalis homini? aut possit esse connaturalis alicui substantiae creabili?

VIDETUR esse connaturalis homini; vel certe non repugnare substantiam creatam, cui sit connaturalis. 1. Quia naturaliter inest homini desiderium

C 2

beatitudinis

beatitudinis, ut docet, inter alios, frequentissime Augustinus, maxime verò lib. 13. de Trinit. cap. 8. ubi ait: *Omnes beatos esse velle veritas clamat, natura compellit, cui summe bonus, & immutabiliter beatus hoc insidit.* Et rursus lib. 1. Confess. cap. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et isto autem desiderio, & inquietudine colligit idem August. lib. 4. contra Iul. cap. 3. post med. potestatem consequendi beatitudinem: *Nec enim, dicens, omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus; nisi esse possemus.* Et ratio est, quia nihil est in natura frustra, & inutiliter; multò verò minùs ad puram torturam injecto stimulo appetitus, & desiderij naturalis respectu finis naturaliter inassequibilis. Beatitudo autem nostra consistit in visione immediata Dei, ut docet Augustinus in eodem illo l. 3. contra Iulianum, & est certum ex fide. Ergo inest homini naturalis potestas consequendi visionem Dei immediatam.

2. Cuilibet substantiæ intellectuali inest naturaliter, & necessariò appetitus videndi causam viso effectum, neque potest quiescere perfectè, nisi deveniat in cognitionem causæ similem cognitioni quam habet de effectum. Id quod experientia ipsa est cuicunque notissimum, & ratio persuadet. Quia eadem est connexio intentionalis, & physica cuiusque rei cum quibusvis alijs; quandoquidem connexio physica fundat intentionalem connexionem sibi proportionatam. Cum ergo connaturale sit homini; ut videat immediatè effectum Dei, connaturale quoque ipsi est, ut videat immediatè ipsum Deum, utque appetitus innatus ipsius quiescere non possit, nisi viso Deo.

3. Intellectus ex suo conceptu, est potentia universalis, & quantum est ex se, uniformiter respiciens totam latitudinem entis secundum omnes ipsius differentias iuxta illud Philosophi: *Intellectus est omnia fieri.* Ergo homini, & cuiusvis alij substantiæ intellectuali est connaturale videre Deum, qui est maximum, & summum ens, non minùs, quam videre alia obiecta.

4. Coniuncto ex intellectu humano, & lumine gloriæ inest infinita perfectio. Ergo nec substantiæ creatæ habenti in se per solam suam entitatem tantundem præcisè perfectionis, quantum inest illi coniuncto, conveniret infinita perfectio. Ergo substantiæ creatæ non habenti perfectionem infinitam esset connaturalis visio Dei, non minùs, quam est connaturalis de factò, & debita ex natura rei coniuncto ex intellectu humano, & lumine gloriæ, Deus autem potest efficere quamlibet speciem substantiæ creatæ non includentis in se perfectionem infinitam, sed solam finitam. Certè ex magnitudine perfectionis non poterit censerì repugnans substantia creatæ, cui sit connaturalis, & debita ex natura rei visio Dei immediata. Nullum verò aliud caput repugnantiae apparet in tali substantia, uti pluribus contra ipsam propositionis, ac dilutis argumentis operosè demonstrant Ripalda, & nonnulli alij. Ergo absolute censenda est possibilis.

5. Substantiæ creatæ nec ex conceptu supernaturalitatis, nec ex conceptu substantiæ repugnat connexio cum possibilitate, & existentia visionis Dei. Quia de factò dantur plura accidentia supernaturalia intrinsicè connexa cum visione Dei, & cum eadem connectitur intrinsicè unio hypostatica, quæ est pars substantialis Christi Domini. Ergo nulla est formalitas in substantia creatæ intrinsicè connexa cum visione Dei, ratione cuius ipsa repugnet. Ergo est absolute possibilis.

Artic. 1. Respondetur. A nonnullis Auctoribus præmittitur in præsentem longa ad istam questionem controversia de conceptu entis supernaturalis,

quam tamen ipse expono quæst. 6. de gratia. Ex quo loco suppono id esse respectu uniuscuiusque supernaturalis, quod est indebitum eidem ex natura rei tam mediatè, quam immediatè; tam indeterminatè, & vagè, quam determinatè sumpto, idque non per accidens, sed per se; & consequenter id esse supernaturalis intrinsicè, & absolute respectu omnis substantiæ purè creatæ, & creabilis, quod nulli tali substantiæ est ita debitum, sed prorsus indebitum. Duo iam probanda sunt: alterum primariò, & principaliter; nempe visionem Dei immediatam non esse homini connaturalem, sed supernaturalem intrinsicè, & quoad substantiam: alterum secundariò, & minus principaliter; eandem esse similiter supernaturalem, minimèque connaturalem respectu omnis, & cuiuslibet naturæ substantialis, seu substantiæ purè creatæ. Utrumque tamen indivisiim præstabitur omnibus ferè argumentis, quæ iam subijcio.

Artic. 2. Probatur itaque primò. Humanæ naturæ ex se præcisè non debetur cognitio vlla perfectior, quam comprehensio sui. Sed visio Dei immediata est cognitio, perfectior, quam comprehensio humanæ naturæ. Ergo illi ex se præcisè non debetur visio Dei immediata. Minor est manifesta. Tum quia per visionem Dei immediatam cognoscuntur legitimo conceptu, & ut sunt in se, plures perfectiones, quam quæ sunt homini communes cum Deo, hoc est quàm omnes, quæ conveniunt homini, & quæ per comprehensionem eius cognoscuntur: tum quia visio Dei reddit hominem impeccabilem, & perfectè felicem, quod nequaquam ipsi præstat comprehensio sui. Manifestum autem est, cognitionem pluram, & maiora perfectè representantem, & præstantem meliores effectus formales, esse perfectiorem. Probatur maior. Primò, quia Deo non debetur cognitio perfectior, quam comprehensio sui, eaque exhaurit totam vim cognoscitivam divinam. Quidni igitur idem conveniat reliquis substantiis cognoscitivis, utpotè participibus virtutis cognoscitivæ, & cognoscibilitatis divinæ, eò proportionaliter modo; quo ipsa est in se? Deinde cognoscibilitas crescit in unoquoque iuste iuxta augmentum entitatis, & perfectionis ipsi convenientis; Quia verum est passio Metaphysica entis; idèoque quantum crescit unumquodque in entitate, & perfectione, tantundem necesse est, ut crescat in ratione veri, & cognoscibilis. Vnde provenit, ut quò perfectior est res aliqua, eò difficilius comprehendatur. Repugnat ergo, ut in aliqua substantia sit maior aliqua alia eius perfectio, ac proinde, ut virtus eius cognoscitiva sit maior, quam cognoscibilitas eiusdem; atque idèò illam non exhauriri per cognitionem correspondentem huic adequatè; id est, comprehensivam ipsius.

Art. 3. Probatur secundò. Habenti visionem Dei debetur perfecta amicitia cum Deo. Sed homini præcisè ex sua natura non debetur perfecta amicitia cum Deo. Ergo homini præcisè ex sua natura non debetur visio Dei. Patet consequentia. Quia cui aliquid est indebitum, id quoque necesse est, ut sit indebitum eidem, quod inducit in illud rationem debiti. Probatur maior. Quia ex visione Dei resultat necessariò perfecta Charitas hominis erga Deum, siquidem bonum in finitum cognitum, ut est in se, rapit necessariò voluntatè impotentem odio habere, vel etiam contemnere, ac omittere quod nullam habet malitiam aut imperfectionem, nec apparet per modum habentis, idèoque caret motivo vero, & apparenti odij, & contemptus, seu omissionis. Perfecta autem charitas hominis erga Deum, est perfecta amicitia inter utrumque, uti pluribus ostenditur efficaciter quæst. 39. de Virt. Theol. Accedit visione

visione Dei reddi inuicem communia bona hominis, & Dei, vi mutuae benevolentiae inter utrumque; Bona quidem Dei respectu hominis; quia homo per visionem possidet perfectè Deum, uti demonstrabitur cum D. Thoma in qq. de Beatitudine: Bona verò hominis respectu Dei; quia nequit homo perfectè amare Deum; quia se ipsum, & omnia sua velit propter Deum, tanquam propter finem ultimum cui; quandoquidem Deus essentialiter est ultimus finis; & repugnat perfectè amari aliquem, quin per amorem constituatur in eo gradu, qui re ipsa illi convenit; Constitit verò nuper, visionem Dei esse inductionem perfecti amoris erga Deum. Ergo visioni Dei est inseparabiliter coniuncta perfecta amicitia inter ipsum Deum, & videntem.

Artic. 4. Perfectam autem amicitiam cum Deo esse debitam homini præcisè ex sua natura, quæ est minor propositio, ex eo apparet clarè; quia homo ex sua natura est contemptibilis respectu Dei. Quid enim eo indiget, qui nullius indigus est; aut quam habet æstimationis dignitatem vile mancipium, quodvè meritum ut magni fiat ab eo, à cuius infinita dignitate distat infinito vilitatis intervallo? Amicus autem iure contemni ab amico non potest; nec cui inest dignitas amicitiae, simul inesse potest dignitas contemptus. Et quomodo quisquam contemnatur ab eo, cuius omnia bona sunt, aut debent esse illi communia? Adde amicitiam perfectam nec pari à pari debitam esse. Vnusquisque enim est sui iuris, nec tenetur se, & sua in alium transferre sibi aliqui aequalem. Quid ni? supremus infimo eandem amicitiae coniunctionem minime debeat, impendatque, cui volent, ex pura liberalitate, & per summam quandam dignationem? Adde rursus similem aliam comparisonem. Quia creatura rationalis habent aliquid magni momenti sibi peculiariter reservatum ex natura rei, & ceteris naturaliter imperium, ac impenetrabile, quodque sola liberalis amicitiae gratiosa insinuatione aliis pateat: nimirum secreta cordis, ut dicitur in qq. de Angelis quaest. 4. Deus autem, si deberet creaturis, secundum se, & ex sua ipsarum natura, & dignitate, amicitiam perfectam, atque visionem sui; nihil haberet eiusmodi. Quia quidquid momenti est in Deo, est sola Deitas; quæ tota provt est in se, patet per visionem ipsius; & latentibus actibus liberis, solum lateret vel aliquod extrinsecum Deo, vel denominationes intrinsecæ nullius ex se momenti, ac bonitatis peculiaris. Esset igitur Deus deterioris conditionis, quam qualibet substantia intellectualis creata; quod est valde absurdum.

Artic. 5. Tertiò. Visionem Dei ita esse possibilem, ut simul sit naturaliter debita homini, colligitur ex desiderio illius, quod est ipsi connaturaliter. Licet enim insit aliquod desiderium, non tamen tale est, quale inest erga alia bona connaturaliter debita, præsertim magna, magnique momenti. Neque enim est absolutum, determinatum, & efficax; hoc namque, ut minimum, negavit Apostolus 1. ad Corinth. 13. cum dixit de visione beata. *Neque in cor hominis ascendit*; Naturaliter scilicet, ut patet ex iis, quæ immediatè subiungit. *Nobis autem revelavit per Spiritum sanctum, &c.* Idem colligitur à posteriori. Quia non dolent homines naturaliter de visione Dei nondum habita, sicut dolent de aliis bonis connaturaliter debitis, quæ nondum habentur. Quis enim Gentilium, aut etiam Catholicorum, dum non advenit perfectè animus ad mysteria, & motiva divinitus revelata ita unquam doluit de privatione visionis Dei, sicut de privatione honoris, sanitatis, &

similium? Certè vox illa vita mortalis contemptrix. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, orta ex dolore nondum habita visionis Dei, propria est spiritus Evangelici, & supra se elevati, nunquam audita apud Gentiles, nec audienda unquam à spiritu non illustrato supernaturaliter. Naturaliter enim omnes adherent vitæ mortali, eiusque quarunt, quantum possunt prorogationem absque ullo termino. Si autem visio Dei esset connaturaliter debita; cum procul dubio sit ceteris bonis maior, desideraretur naturaliter plusquam cetera omnia, & consequenter maior esset dolor, ex eius defectu. Ratio verò à priori est. Quia possibilitas visionis Dei non potest naturaliter cognosci certò, & distinctè. Quæ enim Philosophorum scientia illam sic assequuta unquam est. Imò ratio absoluta ab autoritate, hoc etiam tempore lucis Evangelicæ, fluctuat in utraque partem. Patet verò desiderium alicuius boni prætergredi non posse limites, & modum cognitionis de possibilitate eius; atque cognitionem boni debiti præsertim summi, & ultimi, esse debitam creaturæ rationali, ut ad illud se convertat, illudque in omnibus, & per omnes suas actiones perquirat: nec sollicitudo, quæ debet esse hominum maxima; maxime tepescat sub languido illo *forfan*, quod dubiis, & confusis obvertatur.

Art. 6. Quarta probatio in præsentī q. 12. à 4. & sæpe alias repetita à D. Thoma; & à plerisque aliis Theologis, licet à nonnullis, ut Molina, non admodum fidenter usurpata, hoc ferè discursu continetur. Modus cognoscendi vniique connaturaliter debitus sequitur modum essendi. Quod patet primum ab experientia. Bruta enim, quæ sunt purè materialia, habent modum cognoscendi purè materiale, nec assurgere valent ad modum cognoscendi, qui pertingat ullo modo ad discernendas res spirituales. Similiter anima rationalis, quia dum est unita corpori; dependet aliquatenus ab eo quoad esse, dependet etiam quoad cognitionem à phantasia; neque cognoscere potest res spirituales, nisi ad modum rerum corporalium; quæ sole prælucent in phantasia. Probatur idem rursus à priori. Quia substantia cognoscitiva continet in se intentionaliter obiecta cognoscibilia; nec dubitari potest modum continendi variare modum essendi, eique omnino commensurari; quandoquidem ea continentia est indistincta ab entitate, & comparatur eum eadem tanquam proprietas eius. Modus autem essendi creaturæ est longe diversus, & infinite distans à modo essendi divino. Quia Deus est simplicissimus, & existens per essentiam, homo verò, & qualibet substantia creata componitur ex potentia, & actu; essentia, & substantia; nec existit per essentiam ita ut fiat chimæra per defectum existentiae, uti accideret Deo, iuxta dicta supra. Quod planè est differre quoad modum essendi, non solum penes magis, & minus, ut Angelus inferior à superiori, & anima rationalis ab Angelo, sed simpliciter, & penes genus ipsum essendi, multò perfectè magis quam differunt bruta à creaturis spiritualibus, & anima rationalis, quatenus immerita corpori, à puris spiritibus. Ergo modus cognoscendi Deum connaturaliter debitus homini, & cuilibet aliæ substantiæ creatæ distat à modo, quo Deus cognoscit se ipsum, non solum penes magis, & minus; quo pacto differunt inter se cognitiones videntis rem provt est in se, altera comprehensiva, & altera non comprehensiva, sed simpliciter, & penes genus ipsum cognoscendi, quo pacto differunt inter se cognitiones, quarum altera representat obiectum abstractivè, & ad modum alterius; altera verò intuitivè, & provt est in se. Nulli igitur substantiæ creatæ potest esse connaturaliter debita ex se præcisè visio Dei

esse connaturaliter debita ex se præcisè visio Dei immediata representans ipsum; ut est in se. Hæc ratio simul cum præcedentibus est prorsus communis homini cum qualibet alia substantia creata, & creabili, ut patet consideranti. Sola tertia ratio videri posset vim habere respectu solius hominis. Verum ea etiam transfertur facili ad omnes, & qualibet aliàs substantias intellectuales creatas. Quia qualibet alia substantia intellectualis est perfectior homine, ideoque est à fortiori idonea, quæ conquiescat in se ipsa, nec aliam cognitionem anxie desideret præter eam, quam de se, & in se, deque & ex similibus sibi habere potest. De qua ratione, & comparatione dicitur præterea nonnihil in quæstione de peccabilitate Angelorum. Vbi etiam ostenditur peccabilitatem esse de conceptu substantiæ intellectualis purè creatæ.

Artic. 7. Probabilitati istarum rationum adiungitur certitudo, eaque multiplex ab auctoritate. Primo ex illo ad Rom. 9. 23. *Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna.* Nimirum ne ista antithesis sit enervis, & fallax, oportet rationem gratiæ, & indebiti ita convenire vitæ æternæ, hoc est, visioni Dei, iuxta illud Ioann. 17. 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te:* sicut convenit morti, & damnationi ratio stipendij peccati. At morti, & damnationi convenit intrinsecè, atque ex natura ipsa rei; & non tantum ex suppositione aliqua accidentali, esse stipendium peccati; idque tam respectu cuiuslibet alterius substantiæ, quam respectu hominis, quod nemo negat. Ergo vitæ æternæ, & visioni Dei convenit similiter intrinsecè, atque ex natura sua, & non ex sola suppositione accidentali peccati, seu personalis, seu originalis, esse gratiam, atque adeò donum naturaliter indebitum tum humanæ, tum cuiuslibet alij naturæ creatæ secundum se præcisè considerata. Observandum rursus est illud. Lucæ 6. 38. *Mensuram supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Cui enim datur, quod ipsi debetur ex sua natura, quodque iuste correspondet naturaliter eius capacitati, & exigentiæ, id utique datur mensura supereffluens; cū supereffluens ideo præcisè dicatur, quod datur, quia excedit capacitatem, & dignitatem recipientis consideratam secundum se. Nota mensuram gloriæ, & visionis Dei non ideo dici supereffluentem, quia excedat proportionem meritorum. *Vnusquisque enim, quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino,* ut habetur ad Ephes. 6. 8. & August. epist. 105. multò ante medium dicit vitam æternam non ideo nuncupari gratiam, id est, mensuram supereffluentem, quia non redditur meritis. Dicitur ergo supereffluens præcisè per comparationem ad naturam humanam secundum se, & per excessum eius, quod ipsius dignitati, & capacitati, ac exigentiæ connaturali correspondet tanquam debitum. Quæ ponderatio, ut extendatur ad omnem naturam creabilem; Quis credat Deo competere principatum vsque adeò sterilem, ut non possit elevari quolibet subditos, vel servos suos in maiorem fortunam maioriq; donare felicitate, quam ferat nativa eorum conditio, atque transcendere muneribus iura ipsi convenientia ex se; Non posset autem, si cui deberet connaturaliter visionem sui. Quia nihil habet maius, quo magis felicem reddere quemquam possit.

Artic. 8. Huc etiam pertinent ea testimonia, quæ in quæstione præcedenti producta sunt circa inuisibilitatem Dei. Licet enim nonnulli ea applicent soli inuisibilitati per oculos corporeos; tamen, cū vox videndi vsque adeò frequenter usurpetur in sacris literis pro visione intellectuali, non licet epithetum ex se universale restringere ad visionem solam materiale. Patet autem non posse dici inuisibilem abso-

tè cum, cuius visio debetur omnibus, vel saltem aliquibus infra ipsum potentibus absolute videre aliquid. Quid enim visibilis, magisque oppositum inuisibili, quam quod fieri naturaliter non potest, ut non videatur ab omnibus, vel saltem ab aliquibus, & ipsi sponte sua non apponant impedimentum videndi? Quod profectò dicitur, quicumque dicunt visionem Dei non posse negari naturæ intellectuali creatæ, nisi ratione peccati.

Articul. 9. Adde his, & alijs similibus benè multis omne ius hominis ad videndum Deum fundari in filiatione eius respectu ipsius Dei, iuxta illud Apostoli. *Quod si filij, & heredes.* Ita namque puri hominis filiatio est adoptiva, iuxta illud eiusdem Apostoli ad Galat. 4. 5. *Ut adoptionem filiorum Dei recipereamus.* Filius autem adoptivus dici nequaquam potest is, qui independentè à libera, & purè gratiosa Patris adoptantis voluntate, habet ius ad hæreditatem paternam prorsus innegabilem ex vi suæ natiuitatis, si ob demerita postea superaddita non meritò repellatur. Quæ cum sit constantissima, apud omnes gentes, omni ætate, adoptionis significatio; nequit aliò, nisi perversè, vel violenter traduci intentio Apostoli. Quia verò nulli puræ creaturæ convenire potest filiatio naturalis respectu Dei, quæ est propria solius Verbi Divini; patet istam ponderationem esse communem omni substantiæ creatæ, & creabili secundum naturam. Adde rursus, quæ habentur in qq. de virtut. Theolog. circa supernaturalitatem earumdem virtutum. Ea enim conveniunt à fortiori supernaturalitatem absolutam visionis Dei, ut per se satis patet. Postrema probatio sumitur ex Clementia Ad nostrum de Hæreticis, quæ est Clementis Quinti in Concilio Viennensi damnantis errorem dicentium animam non indigere lumine gloriæ elevari ad videndum Deum. Non autem dicitur, eum elevari, cui solùm conceditur actu ipsi debitus ex natura sua; licet eum ex aliquo accidenti habere de facto non posset. Cæcus namque restituito visu non dicitur propriè elevaris ad videndum, sed liberatus ab impedimento videndi. Certum itaque est ex fide, visionem Dei immediatam non esse homini connaturalem, sed solùm supernaturaliter, ac gratiosè conferibilem. Idemque pro certo, licet non eodem gradu certitudinis, tenendum est respectu cuiusvis substantiæ purè creatæ, vel etiam creabilis.

Ad 1. Conceditur desiderium beatitudinis esse homini connaturale, & inseparabile ab eodem nondum illam habente; atque ex illo rectè colligi possibilitatem obtinendæ beatitudinis; sed distinguenda est duplex beatitudo; altera naturalis consistens in perfecta Dei cognitione ex creaturis, & in amore subsequenti ad talem cognitionem; altera supernaturalis, consistens in visione Dei immediata, ut est in se ipso. Quæ distinctio exponitur in qq. de Beatitudine. Desiderium homini connaturale fertur determinatè, & distinctè ad solam illam Beatitudinem naturalem. Ad visionem verò Dei immediatam non fertur homo tali desiderio, nisi quatenus elevaris à Deo per dona ipsi indebita ex natura rei. Iam Aug. dum beatitudinem hominis constituit in visione Dei immediata, loquitur de homine elevato, sicut de facto elevatus est ad beatitudinem supernaturalem, quam idem distinguit clarè à beatitudine naturali in isto eodem capite 3. ut apparet, inter alia, ex iis eius verbis: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalis fides, quæ in Christo est vera, promittit; nihil prosunt homini virtutes: nullo modo vera possunt esse virtutes.* In quibus vera beatitudo, veræque virtutes opponuntur alij beatitudini, aliisque virtutibus, quæ comparatione illarum sint beatitudo,


& virtutes tantum secundum quid, & potius vera miseria, verique defectus virtutum; qualis profecto comparatio est beatitudinis naturalis, & mediorum eius, cum visione immediata Dei, & cum mediis ad eandem, ut apparebit in iisdem quæstionibus de beatitudine. Nihil igitur natura perperam facit, nullumque iniicit, stimulum ad torturam, tamen injecto desiderio beatitudinis, non conferat ex se præcisè sufficientiam, & possibilitatem ad visionem Dei. Quia confert nihilominus sufficientiam, & possibilitatem ad beatitudinem naturalem.

Ad 2. Omnis substantia intellectualis appetit videre causam visio effectui, neque potest quiescere quousque assequatur eam visionem; si putet eam esse possibilem respectu sui. Si autem putet illam esse impossibilem, aut dubitet de eius impossibilitate, quiescit, cum eo pervenerit, quod se posse pervenire certum sibi est. Non autem constat naturaliter homini de possibilitate visionis Dei cum vlla certitudine. Ergo non potest naturaliter angī, ac torqueri propter defectum visionis Dei. Id quod apparet manifeste ex rationibus superius productis, præsertim ex tertia art. 5.

Ad 3. Ex eo, quod intellectus sit potentia vniuersalis, solum deducitur, ipsum posse aequaliter versari circa omnes differentias entis. Non tamen deducitur, sub quo determinato gradu perfectionis, & per quam determinatè speciem cognitionis attingere possit vnamquamque differentiam entis. Sed hoc est aliunde considerandum; cum certum sit, non omnia æque perfecte, & per idem genus cognitionis attingi ab intellectu.

Ad 4. Substantiæ æquivalenti per entitatem indivisibilem coniuncto ex natura humana, & lumine gloriæ, eo ipso conveniret maior perfectio, quam quæ convenit eidem coniuncto. Quia identitas, cæteris paribus, est maior perfectio, quam unio physica. Exemplo res fiet clarior. Nulla substantia creata potest esse intelligens, aut volens formaliter per se ipsam. Quia nulla est, quæ finita, & limitata non sit, & cui propterea non repugnet esse à se, seu ab intrinseco; cum sit de ratione intellectionis, & volitionis esse ab intrinseco, seu esse ab ipso intelligente, & volente; & tamen substantiæ creatæ non repugnat esse intelligentem, & volentem per accidentia libè superaddita intellectionis, & volitionis, quibus participantur perfectiones istis vocibus significatæ formaliter, quin participetur identitas earundem perfectionum cum divina substantia. Quia scilicet hoc fieri non potest sine infinitate; id est, quia ea identitas est imparticipabilis. Idem ergo evenit in re nostra ob argumenta superius propoſita, nec valet consequentia ex possibilitate coniuncti ad possibilitatem entitatis indivisibilis illi æquivalentis, quin excedat eo ipso. Quia hæc iusta æquivalentia est chimerica. Nequit autem valere argumentum à minori ad maius positivè.

Ad 5. Omnis chimæra constituitur ex coniunctione, vel separatione prædicatorum, quorum vnumquodque secundum se est possibile, & reale. Nihil igitur concluditur illa enumeratione formalitatum, quarum vnaquælibet seorsim sit possibilis. Sed ostendendum insuper est, nullam esse repugnantiam in mutua illarum omnium conjunctione, ac identitate. Quod fieri non potest, ut liquet ex nostris argumentis. Quod dicitur de unione hypostatica nihil valet. Quia perfectio cuiusque substantiæ pensatur ex eius natura, non ex unione partium, aut quasi partium, quæ sunt in vnoquoque ente, ut apparet ex iis, quæ habentur in 2. de Incarnatione circa ipsam unionem hypostaticam.



QVÆSTIO XI.

Virum intellectus creatus possit divinitus elevari, atque elevetur de facto per lumen gloriæ ad videndum Deum?



IDEIVR nec posse elevari, nec elevari de facto 1. Quia Deus ex 1. ad Timoth. 6. 16. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Idem dicitur inuisibilis absolute ibidem, v. 17. & ad Coloss. 1. 15. & ad Hebr. 11. v. 17. Eodem pertinet visio Dei concessa Vnigenito tanquam propria, & peculiaris ipsius, eaque de causa negata cæteris Ioan. 18. *Deum nemo vidit unquam; Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Vbi Irenæus, Athanasius, & Evaristus Papa legunt: *nisi Vnigenitus iuxta illud ibidem, & c. 6. v. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo: hic vidit Patrem.* Accedit, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, aliosque Sanctos PP. omnino videri docere, ob hæc testimonia, visionem Dei immediatam esse prorsus impossibilem, ac repugnantem intellectui creato; ut pluribus ostendere nititur Vasq. disp. 37. a c. 1.

2. Nulla est proportio intellectus creati, utcumque dispositi ad Deum secundum se, & ut est in se; utpotè finiti ad infinitum. Necesse autem est, inter potentiam videntem, & obiectum visum, dari proportionem aliquam. Ergo intellectus creatus nequit villo pacto sufficienter disponi, ac elevari ad visionem Dei immediatam.

3. Oculi corporei non sunt elevari ad videndum aliquid spirituale, etiam creatum, ac minimum, ut fert communis, & indubitata Theologorum ferè omnium opinio; Multo verò minus ad videndum Deum, ut statuit ex communi PP. consensu Petavius tom. 1. Theol. 7. c. 2. Ergo nec intellectus creatus est elevari ad visionem Dei. Patet consequentia; tum quia distantia intellectus creati à Deo est incomparabiliter maior, quam distantia oculis corporei ab Angelo, aut ab alio quolibet obiecto spirituali creato; tum quia utriusque distantia à Deo est infinita, & omnino æqualis, ut infra dicitur.

4. Repugnat creaturæ comprehensio, seu cognitio adæquata Dei. Ergo, & visio immediata Dei, sicut est in se. Antecedens putant certum ex fide Molina, Suarez, & plures alij, cæteri verò omnes ut minimum, innegabile citra temeritatem ex communi PP. intelligentia circa 32. Ieremiæ 19. & ex sensu eisdem communi Doctorum circa caput *Firmiter* de summa Trinitate, ubi Deus dicitur incomprehensibilis. Probatur consequentia Quia dum obiectum non comprehenditur, aliquid eius latet videntem, ut apparet ex communi definitione comprehensionis data ab Augustino Epist. 112. c. 6. Repugnat autem Deum videri, sicut est in se, dum aliquid eius latet; tum quia est omnino simplex, ac indivisibilis, idedque non potest latere secundum aliquid, cui patet secundum aliquid, ut est in se; tum maxime, quia Deus non esset à parte rei, sicut est de facto, si desset ipsi in se aliquid eorum, quæ insunt de facto. Ergo nec in intellectu est, sicut est in se, dum aliquid eius latet, seu non adest in eodem intellectu.